



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1657**

§. 8. Et spopondit. v. 6.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45549**

nempe Christo Domino pecunia paciscantur ille vt tradat, illi vt in suam potestatem accipiant? An igitur simonia, ista tractatio & simoniaci dicendi sunt tractatores? Non audeo, siquidem Simoniaci rem sacram quam emunt sua pecunia & pactis magni faciunt. Hi vero oderunt & vili pendunt. credo igitur hos omnes potius Iscariothitas appellari debere, id est homines, qui rem sacram vilipendendo. vendunt vel emunt, quales pro dolor etiam hoc tempore multi sunt, qui rebus sacris auctoritatem detrahunt & inter secularia bona reducant, confiscant, & à maiorum voluntate desectunt. Ego & Simonianos & Iscariothitas pariter damno, reijcio, & anathematizo, sic me Deus adiuuet.

## §. 8. Et spondit. v. 6.

Marcus & Lucas aiunt, quod Iudæ pecuniam sint polliciti, quasi indefinite, Matthæus determinatè asserit xxx, argenteos esse illi constitutos. An igitur primo indefinite pecuniam promissam dicemus, mox Iuda certum quid vigente xxx. esse addictos? Ita sane mundi cursus & mos agendi suadet. Etiam ita actum esse cogitare licet, quod principes pecuniam indefinite pacti sint cum Iuda, ipsi apud se xxx. constituerint, & si ita factum credamus, magna fuit Iudæ temeritas, & insana pecuniarum sitis, qui se exposuit, periculo minimam solum recipiendi monetam, vtpote pecuniam. O maledicte Iuda tanta cupiditas pecuniæ est in te, vt pro tam modico vendas pretio Dominum & Magistrum, qui te fecit Apostolum, & procuratorem suum, & se & vitam, & Apostolos suos tibi commisit alendos. Quid dicam? pecunia obediunt omnia. Regina pecunia. O ciues, ciues quarenda pecunia primum est. ista & similia sunt in Simoniacorum & Iscariothitarum Gymnasiis prima elementa.

Caveas ergo tibi quisquis es, ô Christiane, ne calefacias cor tuum incendio auaritiæ, alioquin es futurus socius proditoris, cum affecis suis, Achaz, filiis Samuelis, Saul, & Giezi, qui declinauerunt omnes post auaritiæ, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium: ideo & temporaliter puniti sunt & æternè, quorum aliqui Ducatum suum perdiderunt, alius regnum Iudæorum, tertius lepra percussus, primus etiam vitam cum dedecore amisit. Orabo igitur ad Dominum cum Propheta: *Inclina cor meum Deus in testimonia tua & non in auaritiæ.*

## §. 9. Et quarebat opportunitatem vt traderet eum sine turbis. v. 7.

Opportune utique quantum ad tempus, & locum. Et tempus quidem nocturnum elegit, dies vero azymorum. locum vero extra Ciuitatem hortum Gettemani, quem sæpius visitare solebat Christus ad orandum, quo turba conuenire non consueuerant, maxime circa tempus nocturnum

B

quod